



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi  
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot  
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

**Bona, Giovanni**

**Antverpiae, 1677**

Caput Primum. Quaedam praemittuntur de ipso Missae Sacrificio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10805**

D E  
S A C R I F I C I O  
M I S S A E.  
T R A C T A T U S A S C E T I C U S.

C A P U T. I.

Quædam præmittuntur de ipso Missæ Sacrificio.

§. I.

*Quale Sacrificium sit Missa.*

**Q**UAMVIS in Lege veteri plura fuerint Sacrificia, in nova tamen unicum est, quod omnium legalium hostiarum differentiam tantò perfectiùs complectitur, quantò excellentior, Deoque acceptabilior est victima, quæ in eo immolatur. Est igitur Missa Sacrificium Latreuticum, sive honorarium, oblatum Deo ad summum & supremum cultum, atque honorem ipsi exhibendum, tanquam primo principio & ultimo fini nostro, in protestationem infinitæ ejus excellentiæ, Domini & Majestatis; nostræquæ ab eo dependentiæ, servitutis & subjectionis. Est Eucharisticum in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis naturæ, gratiæ, & gloriæ collatis & conferendis ab ipso Deo, ut summo benefactore. Est Propitiatorium & Satisfactorium pro peccatis & pœnis debitis; applicat enim omnibus, pro quibus offertur, vim & virtutem Sacrificii Crucis; imò est idem Sacrificium quoad substantiam, eadem Hostia, idem principalis offerens, licet diverso modo offeratur. Idèò verò Propitiatorium dicitur, quia hæc oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ peccatoribus non ponentibus obicem concedit: Pœnas item peccatis debitas relaxat, quia per ipsum applicatur Sacrificium Christi, qui pro peccatis totius mundi in Cruce satisfecit. Eisdem pœnas remittit Defunctis existentibus in Purgatorio, quia ad eum quoque finem à Christo institutum est; ut constat ex potestate, quæ con-

ferretur Sacerdotibus in ordinatione, offerendū pro Vivis & Defunctis: nec potest hoc effectu carere, quia ex parte ipsorum nullus obex esse potest. Porrò in illis, pro quibus tantum offertur, sive vivis, sive defunctis, tanta erit pœnæ remissio, quantam Christus ex sua misericordia taxavit. Licet enim res, quæ offertur, sit infiniti valoris, nostra tamen obligatio non nisi finitum habet effectum, ut communiter docent Theologi. In iis verò, qui simul etiam offerunt, augetur pro cujusque affectu & devotione. Denique quia Christus non solum nobis remissionem peccatorum, sed alia quæcumque beneficia promeruit: Idcirco hoc Sacrificium est etiam omnium bonorum impetratorium, spiritualium quidem primò, & per se, temporalium verò secundariò, & quatenus ad spiritualia conducunt. Sed quia ex se vim habet dumtaxat impetrandi in genere, ut aliquid determinatum impetretur, debet ad illud offerentis intentio specialiter applicari. Ad impetrandum autem pro Ecclesia, semper intervenit ejusdem Ecclesiæ intentio, præsertim quoad ea, quæ in Orationibus Missæ à Deo petuntur: nam ipsa quoque Ecclesia est offerens in persona sui Ministri.

§. II.

*De his qui offerunt hoc Sacrificium.*

**P**RIMUM & præcipuum inter offerentes locum obtinet Christus, qui solus potuit acceptabile Sacrificium offerre Patri, quod quia quotidie offert per Sacerdotes Ministros suos, idèò dicitur Sacerdotium habere sempiternum, sicut scriptum est: *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Non solum autem ex eo est offerens, quod illud instituerit, quodque ei vim totam ex meritis suis contulerit; sed ex eo præcipue quod Sacerdos in persona

Z

ejus,



ejus, & tanquam Minister ac Legatus ipsum representans sacrificat, ut constat ex verbis Consecrationis: non enim dicit: Hoc est Corpus, vel hic est Sanguis Christi; sed, Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus. Christus igitur simul cum Sacerdote idem Sacrificium Deo Patri pro hominibus offert: & ex ejus persona, cujus purissima sanctitas & dignitas infinita est, semper hoc sacrificium mundum est & gratum Deo, quamvis à Ministro peccatore offeratur.

Alter offerens est ipsa Catholica Ecclesia, cujus Sacerdos Minister est, & in ea omnes fideles non excommunicati, qui etiam aliquâ ratione sunt offerentes per Sacerdotem, non tanquam per Ministrum sed tanquam per Legatum seu Mediatorem. Nam sicut tota Respublica dicitur agere quidquid ejus nomine Legatus suus agit: sic omnes Catholici dicuntur sacrificare, quia ipsorum nomine in persona totius Ecclesiae Sacerdos sacrificat. Non tamen omnes eodem modo: sed quidam habitualiter tantum, illi nimirum qui nec adsunt Sacrificio, nec cogitant de illo; quia tamen uniti sunt toti Ecclesiae per charitatem, censentur habitualiter idem facere quod illa facit. Alii causaliter, jubendo & curando ut quis sacrificet, quod maxime contingit in dantibus ad hoc eleemosinam. Alii denum actualiter, qui Sacrificio actu interfunt.

Tertius offerens & proprius Minister hujus sacrificii est Sacerdos legitime ordinatus, cujus tam firma & immobilis potestas est, ut etiam in haeresim lapsus, suspensus, depositus, degradatus sive excommunicatus valide hoc Sacramentum conficiat, & offerat, licet illicite, dummodo legitimam materiam & formam adhibeat. Nec valor Sacrificii minuitur, etsi Sacerdos peccet, aut ab Ecclesia praecisus sit: non enim fructus ex qualitate Ministri, sed ex Christi institutione dependet.

### S. I I I.

#### *De vi effectiva hujus Sacrificii.*

**D**uplex spectari potest in hoc Sacrificio vis effectiva; una quam dicunt Theologi ex opere operato, independentem à merito & dignitate Ministri: altera quam vocant ex opere operantis, dependentem nimirum ab ipso operante, ejusque merito & bonitate; atque ab ipso pretium, & virtutem accipiens. Primum effectum ex opere operato plures Theologi do-

cent, nec Sacerdotem percipere ut offerens est, nec fideles quatenus sunt offerentes, sed quatenus pro ipsis offertur: hunc enim effectum Sacrificium istud non habet, nisi pro iis pro quibus est institutum, & eo modo quo institutum fuit: est autem institutum, ut pro hominibus offerant, & ut illis dumtaxat profit, pro quibus offertur: cumque sit applicativum virtutis Sacrificii Gratiis, non causat nisi in subiecto, cui talis virtus applicatur; id autem fit ab offerente, qui determinat oblationem pro tali persona. Constantis semper fuit Catholicorum sententia, habere hoc infallibiles & determinatos effectus ex opere operato, nisi ille pro quo offertur obicem ponat, remissionem videlicet alicujus poenae peccatis jam remissis debita; vel donum alicujus gratiae praevientis ad obtinendam commissorum remissionem. Quod verò attinet ad vim impetrativam, eam non esse infallibilem quotidianâ probamus experientia, non enim omnia, quae petimus, & propter quae Sacrificium offertur, semper impetramus. Provenit hoc ex natura impetrationis, quae requirit libertatem in dante, adeo ut possit pro suo arbitrio negare vel concedere quae petuntur. Petimus enim proposito aliquo motivo, quo putamus posse Deum moveri ad aliquid faciendum, sed ex eo non ardeatur, vel propter pactum, vel propter institutionem ad concedendum. Deinde non impetramus, nisi voluntas nostra, respectu rei, quam petimus, sit conformis voluntati Christi, quae cum nobis ignota sit, ei non possumus nos conformare. Certum nihilominus est, non carere Sacrificium hoc effectum; quia, tamen id praecise Deus non concedat quod postulamus; aliud tamen tribuit, quod hic & nunc magis judicat expedire.

Quoad alterum effectum ex opere operantis duo sunt capita; ex quibus augeri potest. Primum est bonitas & dignitas operantis, procedens ex habitu gratiae sanctificantis & virtutum, quae gratiae annexae sunt: nam quò sanctior est Sacerdos, & gravior Deo, eò magis acceptabiles erunt ejus preces, & oblationes. Secundum est actualis devotio, quâ sacrificium offertur: nam quò major illa est, eò amplius ipsi prodest. Sicut enim alia opera bona à justo facta eò magis sunt meritoria & impetratoria, plusque valent ad satisfactionem & remissionem poenae, quò perfectius & ferventius fiunt: ita hoc sacrificium sive spectetur ut est sacrificium, sive ut est Sacramentum, quò ferventius peragitur & suscipitur, eò magis augetur meri-

tum,



tum, magisque prodest pro se offerentibus & suscipientibus, & illis pro quibus offertur. Ideo satagere debet Sacerdos, ut sit Deo valde gratus, & continuâ virtutum heroicarum exercitatione crescat apud illum in gratia & sanctitate, semperque celebret cum ingenti fervore & devotione: sic enim fiet, ut tam ipse, quam alii pro quibus offert, plures & efficaciores Sacrificii effectus ex opere operantis consequantur.

## §. IV.

## De valore &amp; fructibus Sacrificii.

Quamvis nonnulli ex Theologis existimârint, hoc Sacrificium ex opere operato valorem sive efficaciam intensivè infinitam habere, eò quod sit idem quoad substantiam cum sacrificio crucis, resque oblata corpus scilicet & sanguis Christi, sit infiniti pretii, & ipse Christus principalis offerens sit persona infinita; certior tamen & communior sententia est non nisi finiti valoris esse. Potissima hujus assertionis ratio ex Christi Domini voluntate desumitur, qui noluit hoc sacrificium ordinare ad fructum intensivè infinitum conferendum, sicut de facto rebelles Angeli non sunt redempti, quia Christus merita suæ passionis noluit illis applicare. Alia ratio est, quia ad infinitam sacrificii efficaciam, præter hostiæ & principalis offerentis infinitatem, requiritur etiam ejus infinitas à quo immediatè offertur. Cum igitur Sacerdos immediatus offerens sit finitæ dignitatis, valor etiam sacrificii quoad actuale influxum & efficientiam finitus erit, quia actio illa à supposito finito immediatè producitur: & in hoc differt à sacrificio crucis sacrificium nostrum, quia illud fuit immediatè à supposito infinito, ideoque fuit actio secundum esse morale infinita, & Deo Patri infinitè grata. Favet huic doctrinæ communis fidelium sensus, qui plura pro se & suis Sacrificia offerri curant, quod certè non facerent, si infinitam in singulis efficaciam agnoscerent. Possent etiam Sacerdotes unico sacrificio sexcentis obligationibus satisfacere, quod Ecclesiastica vetant Decreta. Frustra pro uno defuncto tot multiplicarentur Sacrificia, quia unum sufficiens esset ad omnes animas liberandas. Missa denique cujuslibet Sacerdotis Sacrificium Christi in Cruce æquaret, quod ideo unicum fuit, quia valoris infiniti: neque considerandum est id, quod in Sacrificio

continetur tanquam ens quoddam naturale agens secundum summum gradum virtutis suæ, sed ut ens liberum, cujus operatio tantam habet efficaciam, quantum habere vult ipsum agens principale Christus Redemptor nostre, qui hoc incruento Sacrificio vult nobis applicari finitum tantum & limitatum fructum suæ passionis. Habet igitur Sacrificium efficaciam finitam in ordine ad omnes suos effectus, exceptâ vi impetrativâ, quam ideo infinitam esse omnes fatentur, quia non consistit in aliquo quod producat à Sacrificio, sed in excellentia & intrinsecâ dignitate ipsius, quatenus objectivè movet Deum ad id quod petitur concedendum, quamvis semper non concedat, nisi cum judicat salutem nostram expedire ut concedatur.

Si verò loquamur de infinitate extensiva, an scilicet Sacrificium pro multis oblatum aequè singulis prodest, sicut uni prodesset, si pro eo tantummodo offerretur, gravis quæstio est præmissâ distinctione fructuum Missæ distinguenda. Est igitur triplex portio valoris Missæ, seu triplex fructus, generalis, specialis, & medius. Primus pertinet ad omnes fideles, secundus est proprius celebrantis, tertius subest dispositioni Sacerdotis, ut applicet cui voluerit. Primus ex eo provenit, quod generaliter pro omnibus fidelibus vivis & defunctis offertur, est enim idem quoad substantiam cum Sacrificio Crucis, quod pro omnibus oblatum est, & ex Canone constat, debere Sacerdotem pro omnibus applicare, pro papa, pro Episcopo, pro Rege, totaque Ecclesiâ militante & purgandâ, & non potest non applicare, cum sit ab ipsa Ecclesiâ ad hoc specialiter deputatus. Quo circa hic fructus ad omnes fideles extenditur, qui ab Ecclesiæ unitate non sunt præcisi, & non ponunt obicem, & sic potest esse quodammodo intensivè infinitus, omnesque & singuli, si per ipsos non stet, integrum fructum percipere possunt, ac si unus tantum esset. An autem hic fructus non solum impetrationem, sed etiam satisfactionem includat, controversum est. Secundum hoc fundatur, quia Sacerdos offert etiam pro seipso, *offero*, inquit, *pro innumerabilibus peccatis, & offensionibus, & negligentis meis*. Debet enim, ut ait Apostolus, *quemadmodum pro populo, ita etiam pro semet ipso offerre pro peccatis*. Provenit autem Sacerdoti fructus, quatenus ab ipso ut publico Ministro offertur; & ideo non est alteri applicabilis, nam dum offert pro se illis verbis, *pro peccatis &*



*offensionibus meis*, eo ipso sibi applicat: sibi verò applicatum non est alteri applicabile. Tertius colligitur ex natura sacrificii, quod ita institutum est, ut pro hominibus offeratur, ac propterea illis prodesse debet pro quibus offertur. De hoc fructu medio communis sententia est, non esse infinitum extensivè, sed eò magis in singulis minui, quò magis extenditur. Debet autem Sacerdos hunc fructum illi applicare, pro quo specialiter celebrare tenetur ratione beneficii, elemosinæ, præcepti superioris, vel alio quocunque titulo; idque ante Missam, vel saltem in Missa ante consecrationem; nam si essentia Missæ in sola consecratione consisteret, ut plerique sentiunt, applicatio post illam facta nihil valeret, Sacrificio quoad substantiam jam consummato.

## §. V.

*Quæ praxis servanda in applicatione Missæ.*

Quia diximus, sacrificii fructum debere à Sacerdotibus applicari, operæ pretium, erit ex communi & magis recepta Theologorum sententia praxim aliquam sive methodum hujus applicationis præscribere, quæ ipsis Sacerdotibus usui sit, ne eos labi in re tanti momenti & muneri suo deesse contingat. Et primò quidem observandum est, Sacerdotem multiplici nomine hoc sacrificium offerre, nomine Christi primi & præcipui offerentis, ex cujus meritis Sacrificii valor emanat, & ex cujus voluntate maximè pendet ejusdem applicatio: nomine item Ecclesiæ, cui meritorum suorum & satisfactionum dispensationem Christus commisit: deinde nomine proprio, quatenus liberâ suâ voluntate offert, sibi quæ aut aliis pro suo arbitrio applicat: nomine tandem aliorum fidelium, qui simul cum ipso, sive per ipsum interno affectu offerre dicuntur, illorum videlicet, qui Missæ inserviunt & assistunt, vel pro ea celebranda elemosinam largiti sunt. Porro Christus & Ecclesia Sacrificii fructuum, quoties offertur, participes esse volunt omnes fideles, dummodo capaces sint & nullus in eis obex reperitur: nec ulla requiritur ex parte Sacerdotis celebrantis applicatio, ut communis hic fructus in omnes diffundatur. Omnium autem fructuum pars quædam notabilis, Christo sic volente & disponente, relicta est liberæ applicationi, & determinationi tam ipsius Sacerdotis celebrantis, tamquam Ministri & mysteriorum

ejus dispensatoris, quàm aliorum simul cum eo offerentium, quod ex communi Ecclesiæ consensu morem fidelium approbantis, quo expetunt hoc Sacrificium pro se peculiariter offerri, manifestum est; frustra enim id facerent, si omnis ejus fructus jam applicatus esset, nec ullus per Sacerdotis intentionem applicandus superesset. Sacerdos verò in hujus Sacrificii actione aliis cum ipso offerentibus superior est, & idè fructuum applicatio ab ejus intentione præcipuè pendet, nam cum sit actus potestatis ordinis, ejus subjacet voluntati. Sed quanta & qualis sit portio fructus, quam Christus Dominus voluit sive generatim ad omnes fideles, sive speciatim ad hos vel illos secundum intentionem particularem Sacerdotis celebrantis derivari, incertum omnino est: neque enim sacra Scriptura, nec Ecclesiæ traditio, nec Concilia, aut Patres quidquam de hac re tradiderunt aut diffinierunt. Idè satis est, quod Sacerdos tantum de fructu Sacrificii juxta devotionem, sive obligationem suam his aut illis applicare velit, quantum Christus Dominus ipsi applicandum concessit.

Observandum secundò, quod, ut Sacerdos Sacrificii fructum validè applicet, necessaria est ejus intentio, qualem requiri ajunt Theologi, ut aliquod Sacramentum validè conficiatur. Quapropter habitualis sufficiens non est; actualis optima atque laudabilis; sed non necessaria: sufficit enim virtualis, illa nimirum quæ ab actuali proveniens & non revocata adhuc remanet secundum suam virtutem. Debet autem hæc intentio ipsam Sacrificii actionem concomitari, & esse certa, & determinata, nec effectum Sacrificii suspensum relinquere, quia non potest à futura conditione pendere. Quod si Sacerdos fructum Sacrificii nemini applicet, vel ille pro quo offert ejus capax non est, aut eo non indiget, manet fructus in Thesaurò Ecclesiæ. Unde in tali casu optimum fore censent Theologi, conditionatam habere voluntatem, & alium substituere, qui eo fructu potiatur. Optimum quoque aliquibus visum est, quod Sacerdos, qui pro pluribus offerre intendit, eos specialiter & nominatim exprimat, non generaliter & in confuso, quia singulis minus prodesset; suum enim effectum producit secundum modum quo applicatur, perfectior autem applicatio est, cum omnes sigillatim nominantur. Ad scrupulos denique evitandos, qui circa applicationem oriri possunt, debet Sacerdos rejectis incertis opinionibus Sac-

crificii



crificii fructus primò & principaliter illi applicare, pro quo celebrare tenetur ratione beneficii, eleëmofinæ, promissionis, aut specialis obligationis. Tum sine ejus præjudicio, & in quantum licitè potest, aliis item applicare poterit sibi charitate aut aliâ quavis ratione peculiariter conjunctis, seu commendatis, suam intentionem intentioni Christi summi Sacerdotis perfectè conformando & submittendo: sic enim poterit tutâ conscientia ex infinito & nunquam exhauriendo thesauro meritorum & satisfactionum Christi, cujus dispensator est constitutus, partem aliquam in plures derivare, quæ ex summa & ineffabili Dei misericordia non nisi uberissima sperari potest.

## CAPUT II.

## De requisitis in Sacerdote ad ritè &amp; piè celebrandum.

## §. I.

## De puritate vitæ.

Quod olim David de Templi ædificatione, id sibi Sacerdos de Divini Sacrificii oblatione, & sumptione dictum putet: *Opus grande est, neque enim homini preparatur habitatio, sed Deo.* Ad Deum igitur accessurus, ut ipsius Dei unigenitum Filium incruentè sacrificet, cum timore & tremore tantum opus aggrediatur, probetque seipsum, & præviis dispositionibus præparet ad uberrimos Sacrificii fructus percipiendos. Sunt autem tres præcipuæ dispositiones, quæ in Sacerdote requiruntur, puritas vitæ, reëctitudo intentionis, & actualis devotio. Puritas vitæ in duobus consistit: Primùm ut sit mundus ab omni peccato, non solum mortali, sed etiam veniali deliberato & scienter admissò, atque ab omni affectu erga ipsa peccata venialia. Levia siquidem peccata omninò vitare nequimus; at ipsorum affectum penitèns ex animo evellere & possumus & debemus; adeò ut nulli voluntate & affectu inhæreamus. Alterum ut conetur omni studio esse purus & sanctus, & ornatus omni virtute, sibi que propterea illud peculiariter dictum existimet: *Qui justus est, justificetur adhuc, & Sanctus sanctificetur*

*adhuc.* Rectè Chrysostomus: *Quo non oportet esse puriorem tali fruente Sacrificio? Quo solaris radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem? os quod igne spirituali repletur: linguam quæ tremendo nimis Sanguine rubescit? Cogita quali sis insignitus honore, quali mens à fruendis: quod Angeli videntes horrescunt, neque liberè audent intruere, propter emicantem inde splendorem, hoc nos paschimur, huic nos unimur, & facti sumus unum Christi corpus & una caro.* Docet S. Thomas, proprium effectum hujus Sacramenti esse, hominem in Deum transformare, & ipsi per amorem assimilare. Quâ ergo fide debet esse imbutus, quâ spe roboratus, quâ succensus charitate, quâ præditus innocentia, qui talem victimam quotidie immolat, Deumque suscipit, & in ipsum mysticè transformatur? Quod si dispositio, ut aiunt Philosophi, ejusdem rationis esse debet cum forma, ad quam disponit: divina procul dubio dispositio necessaria erit, ut recipiatur cibus divinus; vita sic instituta, ut divina sit & superhumana, & mundanæ atque carnali prorsus opposita. Qui sic vivit, secedit à creaturis, & soli Deo adhæret: solus Deus in intellectu ejus est, solus in voluntate, solus in colloquio, solus in operibus. Nihil in illo, quod sapiat mundum, quod carnem redoleat & sensum: seipsum odio habet, corpus suum jugi mortificatione crucifigit, divitias spernit, honores fugit, amat neciri, & pro nihilo reputari. Discutiat ergo vitam suam Sacerdos, & si talem nequaquam esse, sed adhuc terrenam deprehenderit, in divinam transferre satagat sedulâ virtutum exercitatione. Huc etiam pertinet externa corporis & vestium mundities, gravitas & maturitas, quæ Presbyterum; hoc est, senio-rem deceat; talisque compositio totius hominis, ut omnes ex solo ipsius aspectu ædificentur.

## §. II.

## De reëctitudine intentionis.

Secunda Sacerdotis dispositio ad celebrandum, est reëctitudo intentionis, virtus enim laudem, vel vitii notam à fine, quem intendimus, actiones nostræ sortiuntur. Intentio autem ut recta sit, non solum excludit omnem finem malum, & alienum ab ipsa Sacrificii institutione, sed etiam vetat ad ipsum accedere ex sola consuetudine, sine actuali tanti mysterii consideratione, & præviâ præparatione. Sacerdos itaque cele-